



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

AntiLutherus Judoci Clichtouei Neoportuensis. Doctoris Theologi, Academiae Parrhisie[n]sis

Clicthove, Josse

[Köln], 1525

VD16 C 4189

Satisfactionem per bona opera, de peccatis commissis: homini ad salutem
anim[a]e esse necessariam, contra Lutheri sententiam. XV

urn:nbn:de:hbz:466:1-36183

ad stabiliendā institutionē monasticā à quopiā unq̄ propositū: deū
 ea ipsa uirtutū gr̄a ut uoueant obseruāda, in euāgelio præcepisse,
 sed consuluisse tantū. Religiosos aut̄, tale consiliū tanq̄ salutare, ul
 tro amplecti: q̄ cōparandæ animarū suarū saluti apprime cōducatur.
 Falsum est itidē qd̄ postea subinfert, nec licuisse unq̄ eos nec licere
 talia uouere: cū supra sit diffuse ostensum, & licita esse talia uota, et Cap. 7. & 8.
 exēplo sc̄tōꝝ patrū primū inducta, Neq̄ p̄ illa, facit uouēs humā
 tus ea necessaria, q̄ diuinitus sunt libera: ut obiectat Lutherus, sed
 quæ diuinitus libera sunt: etiā apud hoies sunt libera. scilicet ipsa
 uouēdi, aut à uoto faciēdo supersedēdi facultas: anteq̄ fiat uotū. Et
 quæ humanitus necessaria sunt: etiā in hac uotoꝝ materia apud
 deū necessaria sunt, atq̄ de necessitate salutis obseruari debēt. ut
 pote uotoꝝ iā sp̄ote factōꝝ persolutio atq̄ cōpletio. Demū ex his
 omnibus iā dictis dilucidū est: uota ipsa, cōtra libertatē euāgelicā &
 uerā etiā libertatē Ch̄stianā, primi libri capite uicesimotertio expli
 catā, nequaq̄ pugnare, quin poti⁹ eadē reddere illā auctiorē et, am
 pliorē: per elongationē à seculi strepitu, & abdicationē curarū hu
 ius mūdi. Neq̄ ipsa uota diuinis prohiberi præceptis: sed cū illis mi
 ra concordia atq̄ harmonia cōspirare, atq̄ ad ea melius perficiēda
 magnū præstare adiumentū. Nec etiā uotoꝝ institutū, seruilē eē
 hominū doctrinā, nequaq̄ tolerandā: ut in totius obiectionis calce
 obstrepit Lutherus, sed dei potius esse doctrinā, admonitoria tātū
 & cōsiliū proponēte uoce traditā, ueræ libertatis assertricē atq̄ in
 totū orbem Christianum propagandam.

¶ Satisfactionē per bona opera de peccatis commissis: homi
 ni ad salutem animæ esse necessariam. Cap. XV.



Tuero ex hac sua libertate tanq̄ uirulēta & noxia
 radice: Lutherus multos educit ramos nō min⁹ pe
 stilētes, & ex quibus tetra malorū enascit colluuiēs.
 In primis siquidē ex huiusmodi licentiosq̄ libertatis
 stirpe uenenosa, in presentī quod improbamus ope
 re suo de uotis monasticis: damnat satisfactionē p̄nitentiariā de
 peccatis perpetratis, per bona opera, hisce uerbis. Hic uides, q̄ im
 piæ sint leges de satisfactiōibus: quibus docemur per bona opa de
 lete peccata. ¶ Verū si impiæ sunt ille satisfactiōnū leges o Luth
 re: cur p̄cepit Ch̄s leproso mūdato? Vade oñde te sacerdoti, et of
 fer Math. 2

fer munus tuū ad altare: quod præcepit Moyses in testimoniū illis, Vbi per sui ostensionē sacerdoti faciendā, confessio secreta peccatorū: & per oblationē muneris ad altare, satisfactio per bona opera cōfessionē comitantia, secūdū sacros interpretes mystice designatur. ¶ Insuper, altiloquus Christi præco Ioānes baptista, postq̄ scribarū & pharisæoz: ad se uenientiū criminā acriter corripuit: medi camētum quo uulnera eoz: curarent subiuñxit, dicēs. Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ: ut possitis fugere à uētura ira. Qui aut sunt digni pœnitentiæ fructus: nisi uitæ prioris in meliorē frugem cōmutatio, & bonoz operū ad abolenda præterita peccata, sustinendāq; pro illis satisfactoriā aliquā afflictionē exercitiū: quē admodū in homelia, illius loci euangelici expositoria (q̄ legit̄ in sabba to quatuor tēporū aduentus dñi) p̄clare demōstrat beatus Gregorius. ¶ Rursum, ad huiusmodi bonoz operū studiū, quæ p̄ccatorum atrā detergant rubiginē: sanctus Daniel propheta dñi exhortatus est regē Babylonicū, dicēs. Peccata tua elemosynis redime: et iniquitates tuas misericordijs pauperū. Cui cōsonat illud in libro Tobie dictū. Eleemosyna à morte liberat: & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuēire uitā æternā. Et illud uerbū Ecclesiastici. Ignē ardentē extinguit aqua: & elemosyna resistit peccatis. Deniq; et illud salubre Christi monitū in euangelio. Verūtamē quod superest, date elemosynā: & ecce omnia mūda sunt uobis. At quomodo peccata elemosynis redimuntur? nunquid ut erogatis in pauperes pecunijs: impune postea p̄petrent peccata? Nequaquā, nā im punitatē illā peccatoz: cōmittēdoz: nullo quis possit cōparare peccato. Et stolidæ mētis esset atq; insulsæ: qui ita redimi posse peccata arbitraret. Sed redimunt misericordijs pauperū, peccata: qñ pœna pro illis etiā à deo dimissis debita, exoluit per huiusmodi largā bonoz in pauperes distributionē. Haud dissimili ratiōe elemosyna purgat peccata: quoniā sup̄stites in anima peccatoz: tam dimissoz: per cōtritionē & cōfessionē, reliquias abradit: & pœnā tēporariā p̄ illis exoluendā tollit & aufert. ¶ Ad hæc, Si impij sunt leges de satisfactionibus, ut proponit superiorib⁹ uerbis Lutherus: cur post humilē sui criminis perpetrati in numeratione populi toti⁹ regni, confessionē atq; remissionē: iussus est Dauid per Gad prophetam extruere altare dño in area Areuna Hiebusi, & super illud offer

re holocaustum, ad placandum diuinæ seueritatis iram? Nōne significatur uera ipsius regis de peccato illo cōmissio cōtritio: pariter & cōfessio, cū dicit ibi scriptura? Percussit ergo cor Dauid, eū: post quā numeratus est populus, Et dixit Dauid ad dominum. Peccauit ualde in hoc facto, sed precor domine ut trāfferas iniquitatem serui tui: quia stulte egi nimis. Quid præterea humiliter illa propria iniquitatis confessione: quæ paulo post subditur his uerbis? Dixitque Dauid ad dominum: cū uidisset angelū cædentem populum. Ego sum qui peccaui: & ego inique egi. isti qui oues sunt: quid fecerunt? Veretur obsecro manus tua contra me: & contra domū patris mei. Quid ergo adhuc opus erat oblatione holocaustorū & pacificorū: post dimissum iam peccatum: certe in satisfactionem pœnæ: cui Dauid erat obnoxius pro huiusmodi peccato, ut & illa adhuc debita: per sacrificium tale exolueretur. Quis igitur nō uidet ex hoc exēplo: post dimissam à deo culpā, regi adhuc satisfactioem pro illa, per bona opera sedulo faciendā? ¶ Adde, quod ple-
rūq; culpa perpetrata, à deo homini remittitur: pœna tamē tēporaria pro illa infligenda, in futurū tēpus reseruatur. Vt ipsius Dauid exemplo dilucide cōstat. Qui post ppetratū adulteriū & homicidium à Nathan propheta increpatus: cū humiliter suū cognouisset peccatū dicēs. Peccaui domino. audiuit & illius peccati remissionē sibi à domino factā, uoce prophetica: cū illi responsum est benigne à Nathan. Dominus quoq; transtulit peccatū tuum. nō morietis. Attamē Dauid postea grauissimas perpeffus est molestias, erūnas & calamitates à filijs suis: Amnō in uiolatiōe sororis suæ Thamar, & Absalon in cæde dolosa fratris sui, in rebellione cōtra mansuetissimū patrē, uxorū suarū: stupratione, & ignominiosa demum ipsius Absalon tātoꝝ malorū auctoritate morte. Et hæc quidē omnia aduersitatū fulgura atq; tonitrua perpeffus est Dauid: in expiationē utriusq; criminis iam dicti, per eū lōge ante tpe perpetrati. quē admodū Nathan propheta etiā futurū ei pdixerat, Similiter Manasses rex Iuda filius Ezechia: ante actorū à se malorū ueniā fuerat cōsecutus per salutarē uitæ suæ emēdationē, integrāq; sui & uerā ad dñm cōuersionem. In illoꝝ tamē scelerū suorū: iā dimissoꝝ punitionē & pœnā, disperdidit dñs populū Iuda: & ciuitatē Hierusalē sub Sedechia rege aliquāto post tpe tradidit in manus Chal-
T dæorū,

2. Regū. 24

VI.

2. Regū. 11

2. Regū. 12

2. Regū. 13

2. Regū. 15.

2. Regū. 16

2. Regū. 17

2. Regū. 12

2. Paral. 33

daorū, ut liquido testatur scriptura. ¶ Enimvero quartus liber regum capite uicesimo primo, hec refert. Locutus est dominus in manu seruatorū suorū prophetatū; dicēs. Quia fecit Manasses rex Iuda abominaciones istas pessimas, super omnia quæ fecerūt Amoræi ante eū, & peccare etiam fecit Iuda in immundicijs suis; propterea hæc dicit dominus deus Israël. Ecce ego inducā mala super Hierusalē & Iudā: ut quicūq; audierit, tinniant ambæ aures eius. Et extendā super Hierusalē funiculū Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Hierusalē sicut deleri solēt tabulæ. Delēs uertā & ducā crebrius stilū super faciē eius. Rursum eiusdē libri uicesimo quarto capite, cū describitur immissio diuersorū latrūculorū alienigenarū sub Ioachim rege Iuda in terrā eius; ad deuastandā penitus illā, subiungūtur hæc sacrę historie uerba. Factū est autē hoc, per uerbū dñi contra Iudam: ut auferret eū corā se, propter peccata Manasse uniuersa quę fecit, & propter sanguinē innoxiiū quē effudit, & impleuit Hierusalē cruore innocētium; & ob hæc rē noluit deus propitiari. Hæc ibi. Et tamē cū illa uicesimo quarti cap. acta cōpleantur: tū pridē Manasses facta salutarī pœnitētia, erat pie in dño (ut credere fas est) defunctus. Insuper Hieremiæ decimo quinto ca. dñs de populo Iuda exterminādo loquēs: ait. Et uisitabo super eos quatuor species: dicit dominus. gladium ad occisionē, & canes ad lacandū: & uolatilia cæli & bestias terræ, ad deuorandū & dissipandū. Et dabo eos in feruorē uniuersis regnis terræ: propter Manassem filium Ezechie regis Iuda, super omnibus quæ fecit in Hierusalem. Quem propheta locum exponēs beatus Hieronymus in suis super Hieremiā commentarijs: inquit. Legimus in dierū uolumine, Manassem post captiuitatē & pœnitentiā reuersum in Hierusalem: atq; regnasse. Sed quomodo sanctorū merita descendunt ad posteros, sicut Dauid & cæterorū: sic peccatorū flagitia, si liberi nepotesq; similia gesserint, ad posteros perueniūt. Quod autē dicitur dabo eos in feruorē siue cōmotionē, & angustias uniuersę terræ: & sub Babylonijs ex parte cōpletū est: & nūc expletur in toto. quā pessimum regē, & quē repleuit Hierusalē à porta usq; ad portā cruore iustorum: populus imitatus est impius. Ex quo discimus, regum ac principum & præpositorū scelere: populos plerūq; deleri. Hæc Hieronymus. Manifestū est itaq; ex prædictis, quod dimissa per dei misericordiā.

2 Paralip. 36.

4 Regum 21.

4 Regū 24.

Hieremiæ. 15.

Hieronymus
2 Paralip. 33.

4 Regum 21.

fericordiam culpa etiā graui peccatoris: plerūq; reliqua est pœna
temporaria, quæ secundū diuinæ iustitiæ leges est perferēda in o-
mnimodā illius delicti expiationē. Cur igitur ad sustollendā eā pœ-
nam tēporalē, quæ debetur adhuc pro peccato iam deletō quan-
tū ad labem: non fient bona opera satisfactoria, ad perficiendā sa-
lutarē pœnitentiā: ¶ Ad hæc, Leuitici quarto capite, & quinto, iti-
dem & sexto: determinatur à dño particulatim hostia, p diuersita-
te peccantiū aut peccatorū offerenda in satisfactionē. Enimvero
quartū libri illius caput singillatim explicat: quānā fuit faciēda ob-
latio pro peccato sacerdotis, pro peccato itidē multitudinis: pro pec-
cato quoq; principis, & deniq; pro peccato singularis psonæ. Quin-
tū uero eiisdē libri cap. latius edisserit: q̄ fuit hostia in satisfactio-
nē offerenda pro peccato procedente ex uehementi affectiōe in
aliquē, pro peccato itidē cōmissō ex negligētia aut ignorātia, & de-
mū pro peccato circa sacroꝝ abusum perpetrato. Sextū autē cap.
p̄dicti libri speciatim explanat, quo sacrificij genere satisfactorio
expianđū erat peccatū: ex electione, p̄meditationēq; & propo-
sito admissum. Cōstat igitur apertissime ex eo scripturæ loco: satis-
factionē pro peccatis, esse iuris diuini, ipsamq; à deo esse primū or-
dinatā. Neq; hic obstrepat quisquā hæc omnia oblationū ueteris
legis genera, cū illa, iā olim esse abolita: & ergo per ipsa nō posse fir-
miter & efficaciter ostēdi, satisfactionē à deo esse sancitā. Quoniā
tāetsi illæ satisfactionū species ibidē explicatæ, sint antiquatæ: attā-
mē satisfactio ipsa in genere & secundū uniuersalē suā rationē, p̄ma-
net integra, incolumis & semp̄stabilis, atq; perpetua. Pertinet em̄
ipsa, ad dei honorificētiā: secundū æquitatis legē, illi offenso exhi-
bendā. & ergo in noua lege nō min⁹ habet roboris & loci: q̄ habuit
in antiqua. ¶ Deinceps. Integra & p̄fecta pœnitētia, secundū tradi-
tionē ecclesiasticā, orthodoxoꝝ patrū sentētijs consentaneā: nō so-
lum duabus cōstat partibus, contritiōe & cōfessiōe sacramētali: sed
tertiā insuper exigit, ut consummata habeatur & completa. Satis-
factionem inquam pro peccatis: per iniuncta à sacerdote piorum
operum officia. Qui igitur hanc tertiam partē tollit & negat: nullū
relinquit cōsummatæ absolutæq; pœnitētiæ faciēdæ locū aut mo-
dū. Nec me fugit, Lutherū in alijs quoq; scriptis suis iam per alios
acerime confutatis: hanc tertiam pœnitentiæ partē, utpote satisfa-

VII.

Leui. 4

Leui. 5

Leui. 6

VIII.

Leui. 10

LIBER TERTIVS

tionē negare. ut p̄spicue liquet ex quinto articulo ipsius: inter u-
 nū & quadraginta articulos, à Leone decimo, bonę memorię, pro-
 ximis ante annis summo p̄tifice, auctoritate pontificia publice da-
 mnatos, eo ordine reposito. Quoniã tñ pro more suo Lutherus di-
 uersos libros suos ipsdē respexit, erroribus, tanq̄ uenenum sparsum
 disseminās, quo plures inficiant: & in hoc (quē impugnandū susce-
 pimus) libro suo de uotis monasticis, eandē astruit impietate, satisfa-
 ctionis p̄nitēntialis abnegatoriã; hæc tãtilla, ad p̄dictæ improbita-
 tis destructionē, assertionēq; satisfactiōis, protulimus: quib⁹ & hæc
 pauca subiiciem⁹. ¶ Neminē sane id addubitare reor, beatū Pet̄:
 cū cōuersus dñs respexit eū oculo pietatis & misericordię: obtin-
 isse tū ueniã trinæ negatiōis à se paulo añ factæ. Et tamē cōtinuo
 egressus foras fleuit amare: ut scribit Matthæus. Nec tantū uno
 aut altero fleuit die, sed q̄ diu uita illi fuit sup̄stes: audito gallicinio
 dici in pias erupisse lachrymas, criminis illius admissi expurgato-
 rias. Sed nonne tã uberes illę lachrymę: ad satisfactiōē p̄tinebāt?
 X. ¶ Amplius. Cum quis reus criminis læsæ maiestatis aut humana
 cæde pollutus: publico secundū leges & iura ciuilia afficiendus est
 supplicio, obtinet autē à regia maiestate remissionē illi⁹ admissi cri-
 minis: per illā quidē ueniã à rege impetratā liberaf à morte perfe-
 renda, quæ illi secundū decreta legū fuisset infligēda. Verūtāmē
 in reparationē illatæ iniurię, & læsæ parti utcunq; satisfacere ad-
 huc debet: aut solennē aliquã & publicā emendationē exoluere.
 Neq; aliqua in parte, iustitię aut misericordię prætergredit officii
 um rex iustus & clemēs: si post indultū ipsi reo mortis, munus uitæ
 exposcat ab illo tēporariã aliquã satisfactiōē. Quis igit̄ recte pu-
 tauerit, deū ipsum regē regū et dominū dominantū, inique nobis
 eū agere: si post cōdonatā culpā (ob quam æternæ morti eramus
 obnoxij) exquirat à nobis satisfactoriã aliquã operationē, in perso-
 lutionē aliquantulã p̄cænæ, propter eã culpā adhuc debitæ? ¶ De
 mum, beatus Paulus ad Romanos iã deigrā iustificatos scribens,
 ait. Sicut exhibuistis membra uestra seruire immūditatē & iniqui-
 tati ad iniquitatē: ita exhibete mēbra uestra seruire iustitię in sancti-
 ficationē. Quib⁹ ꝑ̄bis salubriter eos admonet, ut cor pa sua per sa-
 tisfactionē condignā exhibeant instrumēta bonorū operum: sicut
 prius ea exhibuerunt organa grauissimorum scelerum. Nullum
 autem

XI.
Rom. 6

autem satisfactionis genus, illo est præstantius: quæ cum per quæ quis peccarit, per eadem punire in se peccata atque eluere studeat. Idem quoque in actis apostolicis perhibet se testificatum esse Iudeis atque gentilibus, in deum penitentiam; & fidem in dominum nostrum Iesum Christum. Vbi non solum fidem se dicit annunciasse iis quibus euangelizauerat: sed & penitentiam in deum. Quæ autem est in deum penitentia, & salutaris: nisi ea ipsa, qua per sedulum bonorum operum exercitium student respicientes diluere maculas uitæ præteritæ: & prauos conuersationis pristinæ mores, in meliores conuertere commutareque. Hoc ipsum autem: nonne satisfactio est penitentialis? Constat igitur, non esse impias: sed maxime salubres & rectas, satisfactiois leges. ¶ Cæterum obstrepet hoc loco fortasse quippiam: sententiæ huic Lutheranae addictus, nimiumque in ipsam propensus. Christus in cruce, acerbissima sua passione & morte satisfacit pro peccatis nostris. non quidem solum pro peccato protoplastorum, quod totam humanam propaginem detruerat in damnationem mortis: sed et pro peccatis singulorum hominum particularibus, immo & singulis. Ipse enim est agnus dei: qui tollit peccata mundi, & est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum: sed etiam totius mundi. Quod & Esaias propheta contestatur: dicens de Christo. quod dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrorum: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit. Idem etiam beatus Petrus confirmat: cum ait de domino nostro. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, iustitiæ uiam, cuius liuore sanati estis. Atqui huiusmodi satisfactio per Christum facta pro nobis, qua sustinuit penam pro peccatis nostris: fuit sufficientissima deoque acceptissima. Non igitur debet ulla à nobis fieri satisfactio pro quibuscunque peccatis nostris: sed simul atque remittitur culpa, delet & omnis pena culpæ debita, neque superest aliqua exolueda pena: pro qua abolenda, fiant opera satisfactoria. Alioquin iniurius est Christo, quisquis post tam exuberantem & dignam satisfactionem eius pro omnibus hominum peccatis: suam uult adicere satisfactionem, eo ipso insinuans, minus sufficienter Christum pro nobis satisfecisse. ¶ Verum huic reddenda est responsio. Christum quidem dolorosa sua passione satisfecisse pro omnibus & singulis mundi peccatis, ut astruunt testimonia scripturarum: modo adducta: sed certo quodam satisfactiois modo,

Actuū. 20.

XII.

Ioan. 1

1. Ioann. 2

Esaia. 53

1. Petri. 2

XIII.

modo, quo poenā aeternā peccatis nostris debitā sustulit, eamq; in
 t'palē tantū, cōmutari obtinuit. Proinde q̄ties fit homini à deo pec-
 catōꝝ remissio & cōdonatio: tum uirtute efficacīe passionis Chri-
 sti, ignis aeterni poena (cui peccator erat ante obnoxius) cōmutatur
 in tēporariā, aut in hoc seculo aut in altero perferendā. Superest
 igitur post acceptā à deo peccatōꝝ remissionē, adhuc aliqua poe-
 na t'palis: ex diuinā iustitiāe rectitudine, debita illis peccatis, pro q̄
 exoluēda, debet fieri satisfactio: ad integrā poenitētiā agendā. Illius
 aut poenae partē aliquā tollit adimpletio p̄opta poenitētiā: per sa-
 cerdotē cui detecta sunt peccata, iniunctae poenitēti. quae nō est à
 quoq; reiiciēda cū supcilio aut negligēda: sed cum humilitate atq;
 submissioe animi libēter suscipiēda, & ocyus peragēda: qm̄ anti-
 dotū est salutare contra uirus mētis inuistū. At quoniā nō est cuiq;
 cōpertū: an opus illud bonum, iniūctū confitēti à sacerdote, aequa-
 lance respondeat illi poenae tēporali debitae, eamq; totā exoluere
 sufficiat. & plarūq; cōtingit, cōpleta ea poenitētiā: adhuc reliquā
 eē aliquā partē illius tēporariā poenae, quae necdū est persoluta. Ad
 circo cōmēdabile est, laudēq; dignū: ultra illā satisfactoriā poenitē-
 tiā supaddere & alia bona opa, orōnes, eleemosynas aut ieiunia: p̄
 om̄imoda poenae illius t'palis exolutioe, utq; cōpleta fiat satisfactio.
 Non igit in iuriā deo facit: qui bonōꝝ operū obsequijs satisfactio-
 nū pro admissis peccatis exercet & perficit. sed qd̄ à deo, & per eū
 ab ecclia catholica ordinatū est, reuerēter amplectēs & exequens:
 magna ipsum ueneratiōe, honoreq; ingenti prosequitur.

¶ Aliorū insuper Lutheri errorū, ex libertate sua (quā statuit)
 emanantiū: explicatio & confutatio, et potissimū aequalita-
 tis omniū honorū operū: in perfectione. Cap. XVI.

I.



Ex pestifera itidem suae libertatis, in decimoquarto
 libri huius capite latius explanatae, radice: et hunc
 deducit noxiū ramū Lutherus, circa hunc sui libri
 de uotis monasticis locū, eum qui fidē habet: nullis
 operibus malis damnari posse aut accusari apud de-
 um, cum ait, **C**redentis in Christum nulla sunt tam mala opera: q̄
 eum possunt accusare et damnare. **R**ursum nulla tam bona quae
 possunt eū defendere et saluare. sed omnia opera nostra nos accu-
 sant et damnāt: solius aut Christi nos opera defendunt et saluant.
 Cuius